vocem suam qua clamat ad deum. sicut clama
uit in abel. Quid de matre loquar. que spectabat
leta filiorum quot funera tot trophea. et morientium
vocibus tanquam psallentium cantibus delectabatur
pulcherrimam ventris sui cytharam in filiis cernens
et pietatis armoniam omni lire numero dulciorem
Quid de bimulis loquar qui ante palmam victorie
acceperunt quam sensum nature. Quid de sancta agne
que in duarum maximarum rerum posita periculo ca
stitatis et salutis. castitatem protexit salutem cum
immortalitate commutauit. ¶ De passione
beati laurentii leuite. Capitulum. XX.

NOn preteream etiam sanctum laurentium
qui cum videret sixtum episcopum suum ad mar
tirium duci flere cepit. non passionem illius
sed suam remansionem. Itaque hiis verbis appella
re cepit. Quo progrederis sine filio pater. Quo
sacerdos sancte sine diacono properas. Numquam
sine ministro sacrificium offerre consueueras. Quid
in me ergo displicuit pater. num degenerem proba
sti. Experire certe utrum ydoneum ministrum elegeris
Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem. cui con
summandorum consortium sacramentorum. huic sanguinis
tui consortium negas. Vide ne periclitetur iudicium tuum
dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli detri
mentum est magistri. Quid quod illustres prestantius
viri discipulorum certaminibus quam suis vincunt.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-465/0090
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG